De delictis publicis,

præcipua juris Patriæ publici et criminalis ratione habita,

Dissertatio Academica,

quam,

ex speciali S:æ Reg. Maj:s Gratia

et

jubente Ampl. Senatu Acad. Lund.,

p. p.

CHRISTIANUS NAUMANN,
Philos. Mag., Jur. Utr. Cand., Reg. Acad. Lundens. Secretarius,

et

Respondens

OTTO CHRISTIANUS BLOMBERG,
Scanus.

In Acad. Carol. die XXX Aprilis MDCCCXLV.

I.

Lundæ,
Typis Berlingianis,
MDCCCXLV.

§ 1.

Delictorum, quæ in Jure Romano occurrit, in *publica* et *privata* divisio non tam ipsam eorum naturam, quam rationem in judiciis procedendi, respicit. De hujus divisionis vi atque fundamento satis constat, juris peritos his proximis annis in utramque partem disputasse [1]). Sin variæ illæ, quæ hac de re in medium prolatæ sunt, sententiæ diligenter examinantur, omnesque rationes, quibus suam quisque opinionem confirmavit, ad fontes Juris Romani revocantur, equidem arbitror, totam rem breviter, attamen ad id, quod nobis proposuimus, satis accurate ita posse explicari. Jam quidem Reges Romani tali modo judicia publica a privatis separasse videntur, ut privatorum potestatem judicibus privatis delegarent, publicorum sibi servarent [2]). Reipublicæ tempore horum discrimen judiciorum certioribus circumscriptum finibus, et accuratius distinctum invenimus inter ea delicta, quorum cognitio et animadversio ad populum pertinebat universum, civibus in comitiis suffragium ferentibus, vel ad Senatum, atque ea, quæ ad Consulum vel postea Prætorum pertinebant imperium [3]). Sensim quattuor judiciorum de delictis comparata fuisse genera, ex fontibus Juris Romani colligimus, *judicium publicum, judicium privatum, crimen extraor-*

---

[1]) Cfr. e. c. Programma certaminis literarii in annal. Acad. Lugd. Bat. 1823—1824: Quænam fuerit apud Romanos vera natura distinctionis inter delicta publica et privata, et quænam fuerit illius doctrinæ vicissitudo a primis civitatis initiis usque ad Justinianum? — Ueber den Unterschied zwischen crimen und delictum bei den Römern etc. von *Birnbaum,* in N. Archiv des Criminal-Rechts, herausgegeben von Konopak, Mittermaier und Rosshirt, VIII: 396; IX: 339. — *Edmund de Hagen,* de quæstione quale sit discrimen inter delicta publica, tam ordinaria quam extraordinaria, ex principiis juris Romani, Gottingæ 1832.

[2]) Liv. I: 49. Dion. Hal. II: 14, 29. IV: 25.

[3]) fr. 2. § 16. D. de origine juris (I: 2). Liv. II: 8, 27, 41. Dion. V: 19, 70. VIII: 77. IX: 39.

dinarium et *actionem popularem.* Quæ cum ita sint, quattuor etiam classes delictorum distinguerent Romani necesse erat pro hac diversa persequendi ratione.

Crimina [4]) *publica* (crimina κατ᾽ ἐξοχήν) maleficia erant, aut adversus rempublicam commissa, aut quæ populus Romanus adversus rempublicam commissa existimavit atque judicio *legibus* constituto poena vindicanda putavit. Itaque non solum injuriæ, quibus status publici tranquillitatem immediate, ut ajunt, lædebatur, sed etiam nonnullæ, quæ, etsi proxime privatis illatæ, tamen propter damnum, quod vitæ, libertati ac dominio privatorum adportabant, mediate reipublicæ vel populi universi salutem perturbare videbantur, judiciorum legibus publicorum comprehensæ sunt [5]).

---

[4]) *Crimen,* i. q. cernimen, plerique deducunt a cerno = κρίνω. Prima, ut constat, hujus vocabuli in jure Romano notio est examen, quæstio (inprimis judicis), judicium (præcipue illud judicium cui opponitur jus, jurisdictio sc. Prætoris). *Secundæ* vero criminis notiones maxime spectant ad judicii caussam, comitatum et exitum, quo pertinent: insimulatio, accusatio (cui sæpe opponitur actio), jus accusandi, reatus, lis (quæ opponi solet controversiæ), res (caussa litis), probrum, maledictio, invidia, suspicio, prætextus, culpa, scelus, vitium, turpitudo, maleficium, poena, condemnatio. Et JC:ti Romani et auctores, quos classicos vocant, *crebrius* de accusatione atque judicio, quam de maleficio, vocabulo criminis utuntur. *Delictum* unam solum eamque maleficii habet notionem. Sensu latiori delictum, sic uti crimen, *quodvis maleficium* significat, hoc tantum cum discrimine, quod delictum *externam* magis, crimen vero *internam* magis maleficii indicet naturam, illud magis ipsum malefactum, flagitium, facinus, in quo damnum, exitus spectatur, hoc vero scelus, in quo ad improbitatem, malignum consilium, respectus habetur. Quid? quod interdum delictum et crimen nihil nisi factum externum, corpus delicti (matérialité du fait, fait physique) significare videntur. Sensu vero strictiori, et ubicumque distinctiore quadam notatione opus esse videtur, *delictum* de levioribus maleficiis usurpatur, in quibus *privato* judicio locus est, *crimen* vero graviora continet scelera, de quibus *publico* plerumque vel extraordinario judicio agitur. — In juris Romani fontibus voces: *delicta* publica, non invenimus, sæpissime autem: *crimina* publica. Vide sis *Birnbaum* l. c. VIII: 403 et sequ. *Hagen* l. c p. 9. In disquisitione laudata (N. Arch. d. Crim. Rechts VIII: § 1, p. 403) Birnbaum negat, *maleficii* notionem inesse vocibus: crimen publicum; sed in tractatu recentiori (Neue Folge, 1835, p. 325) sententiam suam hac de re mutat.

[5]) Ut *Violatio religionis; Muretus* de legibus XIX. *Crimen (læsæ) majestatis,* fr. 1—4. D. ad leg. Jul. Majest. (48: 4). *Peculatus,* fr. 1, 4. § 7; fr. 6. § 1, 2; fr. 8, 9. § 3—6; fr. 10, 11 pr. D. ad l. Jul. pecul. (48: 13). *Ambitus,* fr. un. D. ad L. Jul. amb. (48: 14). Historiam hujus criminis vide *F. Walter* Geschichte des Röm. R. bis auf Justinian, Bonn 1840, p. 817, 836. *Repetundarum,* D. de leg. Jul. repet. (48: 11), Cod. ad leg. Jul. repet (9: 27). *Vis publica,* D. 48: 6. cfr. 48: 7, Cod. 9: 12. *Fraudatæ annonæ,* D. 48: 12, cfr. fr. 6. D. de extraordinariis criminibus (47: 11). *Homicidium,* D. ad leg. Corn. de sicariis (48: 8), § 6. J. de publ. judic. (4: 18). *Parricidium,* fr. 1. D. de l. Pompeia de parric. (48: 9), § 7. J. de publ. jud. (4: 18). *Veneficium,* D. 48: 8, cfr. 48: 9, fr. 1 in fine. *Falsum,* D. 48: 10. *Adulterium,* D. 48: 5, C. 9: 9. *Vis privata,* D. 48: 7, C. 9: 12. *Plagium,* D. de lege Fabia de plagiariis (48: 15). Cod. 9: 20. — Cfr. *Antonii Matthæi* de Criminibus Commentarius, Vesaliæ 1672, p. 50. *Caroli Sigonii* de judiciis Lib. II. capp. 1, 2, in Opp. omn. Vol. III, Francofurti 1593. — *Obs.* quoque fr. 2 D. Concussione (47: 13): "potest judicium pu-

Hæc crimina tempore reipublicæ *vindicabantur ex legibus comitialibus* [6]) (legibus sensu stricto), quarum unaquæque in singulis criminibus peculiarem præcipiebat procedendi modum. Tali lege non solum criminum capita singula ac poenarum comprehendebantur, sed etiam actionis partes singulæ, de patronis dandis, judicibus legendis, testibus audiendis atque citandis, de comperendinando, aut ampliando reo, quin etiam de prævaricatione ac calumnia accusatorum, quid præcipue in quoque exercendo judicio servari oporteret, præscribebatur; ita ut tot fere essent codices criminales quot crimina [7]), quamquam multa ex una in alteram legem iisdem verbis transferebantur, unde etiam translatitia dicta sunt. Decursu temporis Senatus Consulta in locum legum Populi Romani succedebant. — Criminum publicorum *cognitio erat solennis.* Pro varia civitatis Romanæ judiciorumque forma, modo reges, deinde consules, modo populus ipse vel Senatus, modo judices lecti (quæsitores parricidii) de singulis criminibus judicium publicum exercuerunt, quam *quæstionem* vocarunt, ita ut, quotiescumque res posceret, aut consules, aut dictator, aut prætor senatusconsulto aut lege quærere juberetur [8]). A. U. C. 603 vel 604 *perpetuæ* quæstiones esse et proprium quæsitorem habere coeperunt [9]). Quæstio vero perpetua facta intelligebatur, cum Prætori in singulos annos erat mandata. Sortiebantur inter se Prætores [10]), quam quisque per annum deberet exercere quæstionem cum consilio selectorum judicum. Non tamen omnia judicia publica ab ordinariis illis quæsitoribus facta sunt, sed caussa etiam tum potuit deferri ad comitia, et interdum quæstiones extra ordinem Senatus Consulto vel plebiscito, ut ante, aut

---

blicum esse etc." Fr. 3 pr. D. de Prævaricatione (47: 15): "prævaricationis judicium est aliud publicum, aliud moribus inductum etc."

[6]) Hinc nomen: judicia legitima.

[7]) Postremæ omnium leges fuere Corneliæ, Pompejæ et Juliæ (A. U. 665—754), fr. 1. D. de publ. jud. (48: 1), cum additamentis, quæ paullatim inducta sunt Senatus consultis (ut Sileniano a. u. 763, Claudiano, Liboniano 769, Turpilliano 814.), constitutionibus principum et interpretatione prudentum, fr. 10—14. D. de legibus (1: 3), fr. 4. § 7. D. ad leg. Jul. pecul. (48: 13), fr. 1. pr. D. de requir. reis (48: 17), fr. 15. D. de poenis (48: 19). Cfr. *Sigonii* de judiciis Lib. II, cap. 26 et sequ. — *Hagen* l. c.

[8]) Cfr. *Sigon.* l. c. Lib. II, c. 4.

[9]) Cic. Brut. 27.

[10]) Prætorum numero, quamvis aucto, non sufficiente, *Judici* qui dicebatur *quæstionis* mandabatur quæstio. Cfr. *Walter* l. c. p. 861, 2.

consulibus aut aliis magistratibus, aut etiam privatis hominibus mandatæ sunt [1]). Postero tempore, eversa reipublicæ facie, *Imperator* vel solus vel adhibito Senatu de publicis criminibus quæsivit, et omnia fere judicia populo fuerunt ademta [2]). Sensim ordo solennis publicorum desiit judiciorum, Præfecti et præsides extra ordinem cognoscere coeperunt, qua de re plura infra dicemus. — Quia crimina publica rem publicam sive populum universum lædere videbantur, *cuilibet ex populo,* nisi lege erat impeditus, *potestas data fuit ob crimen illud in judicio criminali reum accusandi.* Neque tamen ob idem publicum crimen plures poenam publicam reo irrogandam postulare poterant [2*]). Accusatores *in crimen subscribere* tenebantur seque ad similitudinem supplicii obstringere, si de calumnia fuerint convicti [3]). Tota in criminibus publicis persequendi ratio [4]) solennis erat. — Ad *conatum* quod attinet, nullum in jure Romano invenire licet præceptum, quo in hunc ipsum, generatim spectatum, poena quædam constituta est. Quid? quod ne nomen quidem (terminum, ut ajunt, technicum) occurrit ejus rei, quam nos *conatum* appellare solemus, a consummato illam delicto distinguentes. Plurimæ autem leges Romanorum sic erant compositæ, ut *conandi* quoque *actionem (försöks-handlingen),* si suo digna esse supplicio videbatur, ex-

---

[1]) Sive quia nulla dum lex de iis constituendis erat lata, sive quod lata erat illa quidem, sed pro rei atrocitate extra ordinem quærendum videbatur. Exempla allata legas apud Sigonium Lib. II, cap. 4. — Satis constat, eum, qui judicia publica exercuit, merum imperium habere, nec alteri posse mandare muneris executionem, nisi fortasse eadem lex, quæ de quæstione erat lata, quæstionem illam transmitti licuisse sanciverit. Fr. 1 pr. § 1. D. de officio ejus, cui mand. est jurisd. (1: 21); fr. 6 pr. D. de officio procons. (1: 16).

[2]) Vide *Walter* l. c. p. 864.

[2*]) § 1. J. de publ. jud. (4: 18). fr. 16 D. de accusat. (48: 2); const. 9 C. de accusat. (9: 2). — Mulieribus, pauperibus, servis, pupillis, famosis, ceterisque aliis de quib. vide fr. 1, 8, 9, 10 D. de accusat. (48: 2), non erat permissum publico judicio quemquam reum facere, et quod ad leges adulterii et suppositi partus specialiter attinet, in iis accusatio nonnullis tantum personis licebat. Const. 30 Cod. ad leg. Jul. de adulteriis (9: 9); fr. 30. § 1. D. ad. leg. Corn. de fals. (48: 10). — Etiam *actiones populares* publicæ erant (cuilibet ex populo competebant), sed in *civili* tantum obtinebant judicio. Quum ex his actionibus *extra ordinem* cognitiones criminales oriebantur (de quibus infra), accusatio cuilibet ex populo erat data.

[3]) fr. 3 § 2, fr. 7 pr. ult. D. de accusat. (48: 2); fr. 7 C. de calumniat. (9: 46); fr. 1. § 2. D. ad S. C. Turpill. (48: 16); fr. 2. § 8. D. ad leg. Jul. d. adult. (48: 5).

[4]) Descripta est a *Sigonio* l. c. Lib. II, c. 7—25. Cfr. *Walter* l. c. p. 869 et sequ. Accusationes criminum publicorum non admittebant procuratores, neque ad neque in hæredes transiebant, et non præscribebantur nisi XX annorum spatio, cfr. *Hagen* l. c. p. 31.

pressis verbis comprehenderent [5]). Quod si ita erat, non minor poena inchoatam actionem quam perfectam sequebatur. Sic in iis plerumque criminibus, quæ publica appellantur. Quamobrem hac rite observata rei ratione, merito dici potest, conatum in his ipsis criminibus eadem sæpe qua delictum consummatum vindicari poena, publicam dico et plerumque legibus constitutam, quam respublica ipsa, crimine læsa, a reo sumebat. Poenæ erant gravissimæ, publico judicio damnatus infamia notabatur [6]); sed interdum crimina, de quibus jam agitur, etiam extra ordinem puniebantur, si poena legitima in usu esse desierat [7]).

Delicta privata [8]) quænam fuerint, ex iis, quæ in medium protulimus, facile colligitur. De his enim delictis, quæ maxime ad privatorum læsionem tendere videbantur, non a populo vel judicibus lectis, sed a prætore (vel præfecto urbis) jure ordinario cognoscebatur, neque ex lege quadam solenni, sed ex edicto prætoris [9]) aut plebiscito [10]), utplurimum castigabantur. Non cuique ex populo sed soli privato, qui damnum acceperat [1]), actionem intendere licebat, et quidem in judicio *civili,* partim ad damni illati restitutionem, partim ad finem poenæ privatæ, quæ plerumque in eo sita erat, quod reus duplo, triplo vel quadruplo, pro ipsius delicti natura et damni magnitudine, actori satisfacere cogebatur. Hæ actiones poenales pecuniariæ non recedebant a natura aliarum actionum pecuniariarum, quæ ex contra-

[5]) Is autem qui conabatur aliquid, de quo conatu mentio in lege facta non erat, nulla poena afficiebatur, nisi quando hæc actio *(försöks-handlingen),* ut peculiare crimen (quale est crimen vis, stellionatus, injuria etc.), aliis legum locis poterat vindicari. Cfr. quæ hac de re docuerunt V. V. C. C. *Zachariæ* et *Luden* in libris magna laude dignis: "Ueber den Versuch der Verbrechen," Göttingen 1836—1839 et 1838.

[6]) § 3. J. de publ. Judiciis (4: 18). *Sigon.* l. c. II: 3. *Walter* l. c. 841 et sequ. Cfr. fr. 7 D. de publ. judiciis (48: 1).

[7]) Imperatores interdum crimen poena digna vindicandum *judicis arbitrio* commiserunt.

[8]) Dig. de privatis delictis (47: 1). Cfr. fr. 17 § 18 D. de ædil. edict (21: 1), ubi *delicta* opponuntur criminibus publicis. Const. 11 pr. C. de injuriis (9: 35). Locutionem: *crimina* privata reperimus fr. 3 D. ad S. C. Turpill. (48: 16); fr. 1 § 3. D. de poenis (48: 19); fr. 3 pr. C. ubi Senatore (3: 24); sed hæc locutio, ubicumque in fontibus occurrit juris Romani, significat *accusationem* privatam tam extraordinariorum quam privatorum delictorum.

[9]) fr. 1. § 3. D. furti adv. naut. (47: 5). Item 47: 6, 1. 47: 8, 2 et 4. 47: 9, 1.

[10]) Huc spectant delicta vindicata ex lege Aquilia; fr. 1. D. ad leg. Aquil (9: 2). De actione injuriarum ex lege Cornelia vide sis *Walter* l. c. p. 810.

[1]) sive immediate, sive mediate, ut in injuriis: pater, maritus, sponsus; fr. 15. § 24. D. de injuriis (47: 10).

ctu vel alia oriebantur caussa [2]), et paucis verbis institui poterant apud Prætorem, qui jus dicebat, nec merum habebat imperium sed jurisdictionem tantum, quam, si ipse forte esset prohibitus, alteri mandare potuit [3]). A *subscriptione in crimen* immunis erat accusator, et in *conatus*, de his cum quæritur delictis, nulla omnino constituta erat poena [4]). Quattuor præsertim, ut inter omnes constat, delicta in jure Romano privatorum nomine gaudent, furtum, rapina, injuria, damnum injuria datum [5]). Sed sine dubio alia etiam delicta leviora hoc nomine comprehendebantur [6]). Successu temporis pluria delicta privata aut legibus, aut extra ordinem, publicis poenis castigabantur, et in actore læso erat positum, utrum *pecuniariter agere* in judicio privato, an extra ordinem in judicio criminali delicti poenam exerceri mallet, et in hoc casu subscribere eum in crimen oportebat [7]).

Delicta, e quibus *actiones* nascebantur *populares* [8]), quasi in medio posita erant inter crimina publica et delicta privata. Cum illis id habebant commune, quod actio cuivis ex populo competebat [9]); cum his, quod actio in judicio instituebatur *civili* et mulctam tantum spectabat pecuniariam, quæ actori adjudicabatur. Actiones populares [10]), sensu juris Romani, legibus nostræ ætatis de disciplina publica

---

[2]) Obligationes, ut probe cognitum est, aut ex contractu aut ex delicto nasci, docet Jus Civile Rom. Quum in delictis concurrant *reatus*, seu vitiositas actus, et *effectus*, seu damnum alteri illatum, consequens est, ut ex iis ad poenam et ad reparationem damni agi possit. Hinc aliæ actiones, natæ ex delicto, *rei persecutoriæ* sunt, aliæ *poenæ persecutoriæ*, aliæ *rei et poenæ persecutoriæ* (mixtæ). *Heineccii* Elem. jur. civ. — In quo casu actio competat heredibus vel contra heredes, et quo tempore præscribantur actiones, vide Ibid. Giessæ 1775, p. 493. *Mackeldey* Lehrbuch des heut. Röm. Rechts, Giessen 1833, § 197 c. — 199.

[3]) Cfr. *Sigon.* l. c. Lib. I, cap. 1 et sequ.

[4]) fr. 1. § 2. D. quod quisque juris (2: 2); fr. 21. § 7—9. D. de furtis (47: 2); fr. 15. § 10. 17. D. de injur. (47: 10); fr. 27. § 17. D. ad L. Aquil. (9: 2). *A. Bauer*, Lehrbuch des Strafrechts, Göttingen 1833, p. 109, not. 6. — Cfr. quæ de *conatu* antea observavimus, p. 4.

[5]) D. XLVII: 2, 8, 10. IX: 2. (Cfr. *Birnbaum* l. c. VIII: 416, not. 66). J. IV: 1—4.

[6]) *Gaius* III: 182; pr. J. de obl. quæ ex del (4: 1); *Waller* l. c. p. 805.

[7]) fr. 92. D. de furt. (47: 2); fr. 5. pr., § 9, 10; fr. 6, 45. D. de injur. (47: 10); § 10. J. de injur. (4: 4); const. 11. C. de injur. (9: 35); fr. 3. D. de priv. delict. (47: 1); fr. 1. § 3. D. de poenis (48: 19). Infamiæ interdum etiam in delictis privatis locus erat, fr. 7 fin. D. de publ. jud. (48: 1).

[8]) Fr. 1, 2, 3. D. de popul. act. (47: 23).

[9]) "Ubi quis quasi unus ex populo agit." Fr. 43. § 2. D. de procur. (3: 3).

[10]) Quales erant: Actio de albo corrupto ("si quis id, quod jurisdictionis perpetuæ caussa in albo,

(*"Policeförfattningar"*) æquiparari possunt. Quum ex his actionibus cognitiones criminales extra ordinem nascebantur [1]), accusatio (actio criminalis) publica manebat (etiam tum cuivis ex populo competens), quamvis judicia, in quibus instituebatur, non erant publica sensu supra explicato.

Quum in fr. 3. pr. D. de prævaricatione (47: 15) judicium publicum opponitur judicio *moribus inducto,* hac distinctione mihi videtur breviter cxpressum, unde originem ducant *crimina* (judicia), quæ dicuntur, *extraordinaria.* Neque enim leges de criminibus publicis comitiales, neque prætorum de privatis delictis edicta successu temporis ea acceperant supplementa et ita perfecta erant, ut omnium maleficiorum genera poena vindicanda enumerarent et poenas omni tempore atque unaquaque ratione dignas statuerent. Itaque sensim jus quoddam oriebatur ut ajunt consuetudinarium, et delictis poena extraordinaria pro more (vel communi vel provinciæ vel auctoritate rerum judicatarum) irrogabatur, præcipue: I) si quæ atrocius admissa erant [2]), de quibus omnino nullæ exstabant leges, — ne impunita evaderent delicta reipublicæ noxia; vel II) etsi leges exstarent de genere quodam delictorum, tamen certa ejusdem generis maleficia graviora videbantur, quam quæ secundum leges illas judicarentur [3]); vel denique III) in subsidium deficientis

---

vel in charta, vel in alia materia propositum erat, dolo malo corruperit"), fr. 7. pr. D. de jurisd. (2: 1). De effusis et dejectis ("si ex cujus coenaculo dejectum effusumque aliquid est, ita ut alicui noceret"), fr. 1 pr., fr. 5. § 5, D. de his qui effud. (9: 3). Si quis ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habebat, quod poterat (si ceciderit) alicui nocere, fr. 5. 6—13. D. de his qui effud. (9: 3); § 1. J. de obl. quæ quasi ex del. (4: 5). Si quis locum aquæductis finitimum occupabat; Frontin. de aquæduct. 127. Si quis in loco publico, via publica, aliquid faciebat vel in eum locum immittebat, qua ex re damnum dabatur; fr. 2 pr., §§ 34, 35, 44 ne quid in loco publ. (43: 8). Cfr. fr. 42. pr. D. de procur. (3: 3); fr. 1, 2. D. de loc. et itin. publ. (43: 7). *Actio de sepulchro violato,* fr. 3 pr., fr. 6, 9, D. de sepulchro viol. (47: 12); fr. 42. D. de procur (3: 3). *De termino moto,* fr. 3. D. de termino moto (47: 21). Sed posteriore tempore crimina sepulchri violati et termini moti poenis extraordinariis castigata sunt.

[1]) Ut in criminibus termini moti et sepulchri violati, fr. 3. pr. D. de sepulchro viol. (47: 12); fr. 3 pr. D. de termino moto (47: 21): "ejus actionem ei, qui volet, esse jubet."

[2]) E. c. de stellionatu, de delictis eorum, qui illicita corpora inierunt, qui prævaricati sunt, de delictis dardanariorum, saccularioruin et circulatorum; D. 47: 20, 21, 22, 11. (fr. 6, 7, 11).

[3]) E. c. de effractoribus, furibus nocturnis vel balneariis, abigeis, directariis; D. 47: 18, 17, 14, 11 (fr. 7).

actionis ordinariæ [4]). Continebantur crimina extraordinaria [5]) neque publicis judiciis neque privatis actionibus; *non nisi a læso privato,* sed in judicio *criminali,* accusabantur [6]), et eorum cognitio minus solennis erat quam olim criminum publicorum, attamen accusatores in crimen subscribere tenebantur [7]). Præfecti et Præsides de iis cognoscebant [8]). Ut supra commemoravimus, accusatio cuivis ex populo competebat, si ex actionibus popularibus cognitiones extra ordinem nascebantur criminales. Criminum extraordinariorum poena publica erat, plerumque quidem incerta, neque tamen omnino arbitrio judicis tradita. In illis quoque Juris Romani titulis, quibus hæc crimina tractantur, variæ quidem, cum constitutionibus tum responsis prudentum, poenarum species commemorantur, quæ peccantibus infligi extra ordinem *solebant.* Non nisi Indicem igitur habebat judex; legem, quam heic sequeretur, certam omnino nullam. Non ita poenæ in arbitrio judicantium erant, ut pro libitu vel condemnare vel absolvere, ut poenæ gratiam facere aut genus poenæ commutare, sed ut pro personarum et commissi qualitate, loco, tempore, eventu atque rebus circumstantibus, modo durius modo remissius animadvertere possent [9]). — Tempore Imperatorum quod antea factum erat inter judicium publicum et extraordinarium discrimen sensim evanuit [10]), et omnia maleficia extra ordinem fuerunt judicata [1]).

---

[4]) Ut crimen expilatæ hereditatis; fr. 1, 2 pr. et § 1. D. expil. hered. (47: 19); constit. 6. Cod. de crim. expil. hered. (9: 32).

[5]) D. 47: 11.

[6]) D. XLVII: 19, 3; 11, 3; 13, 1 et 2; 14, 2; 15, 3 etc.

[7]) D. 47: 1, 3.

[8]) fr. 1. § 3. D. de poenis (48: 19).

[9]) *Birnbaum:* Ueber die richterliche Willkühr bei absolut unbestimmten Strafgesetzen. Neues Arch. d. Crim. Rechts XIII: 540 ff. — Cfr. *Matthæus* l. c. p. 51. — Reus in extraordinariis criminibus etiam is haud raro fuisse videtur, qui delictum *conatus erat;* fr. 1. pr. § 2. D. de extraord. crim. (47: 11). Cfr. p. 4. — *Obs. 1.* Locutio: *delictum* extraordinarium, non occurrit in juris Romani fontibus, sed quidem *crimen* extraordinarium. *Obs.* 2. Cavendum est, ne credas, ubicumque voces: *extraordinarium, extra ordinem,* occurrant, de crimine (delicto) extraordinario esse sermonem. Cfr. *Birnbaum* N. Arch. d. Crim. R. VIII: 669—688. *Hagen* l. c. p. 36 et sequ.

[10]) durante tamen adhuc, tamquam regula et norma, legum poena et in crimen subscriptione. *Cujacii* observat. 33.

[1]) Cfr. *Savigny* Geschichte des Röm. R. im Mittelalt. Th. I. S. 77.